

**Astro.** Credibilia fient: cum intellectus certis rationibus eis assentiet. attende si placet: & fidelem astronomiam inuenies: nam hæ p̄nomiatae uirtutes in rebus humanis: & naturalibus apud philosophos tam naturales q̄ morales esse comprobantur: earum q̄ opposita quocunq; nomine uel uocabulo contingat appellari: ab intellectu humano comprehenduntur: cognoscitq; si una earum uirtutum cum aliquo conuenit: quod eius oppositum eū eodem disconuenit: & cum opposito conuenit: ut puta: si bonitas conuenit cum .a. malitia scilicet oppositum bonitati disconuenit cum .a. & conuenit cum contrario .a. ut puta non .a. uel .b. quoniam bonitas: & malitia opponuntur & .a. & non .a. uel .b. similiter. ergo quanto uirtus cum esse concordabit: tanto uitium ei oppositum cum non esse stabit: & consequetur maior uirtus cum maiori esse: & maius uitium cum maiori non esse. His suppositis arguitur: bonitas & magnitudo sunt in esse concordantes: & opposita in non esse: & quanto maioris bonitatis: & magnitudinis tanto cum maiori esse concordant: & opposita cum maiori non esse: sed bonitas & magnitudo sunt in esse ut patet ergo & illa sunt in esse que sunt maioris bonitatis: & magnitudinis: illa que sunt maioris bonitatis: & magnitudinis sunt in esse: ergo aliquod bonum infinitum cum esse eterno & infinito conuenit: consequentia tenet: & antecedens est uerum: ergo & consequens: probo consequentiam primam tenere: nam oppositum consequentis repugnat antecedenti: consequentia tenet: antecedens probo: nam ex eo sequitur impossibile: ergo illud est impossibile: consequentia tenet: & antecedens probo nam dicas tu oppositum nullum bonum infinitum cum esse eterno & infinito conuenit: & sequitur quod primum principium ab alio principio habuerit principium: & q̄ sit processus in infinitum in principis: quæ duo sunt impossibilia: & probo consequentiam: quia si nullum est bonum infinitum per te: cum nullum finitum habeat esse a se ipso: quia illud tale esset infinitum: ergo principium illud quod tu ponis primum habuit principium ab alio principio: dicamus ergo q̄ illud principium principians sit .a. & quaero nunquid sit finitum: aut infinitum: si infinitum habeo propositum: si finitum ergo habuit principium: quia finitum cum infinito non conuenit: ergo illud quod tu ponis primum principi